



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Martini Bonacinæ Vtrivsque Signatvræ Referendarii
Compendium Omnium Operum de Theologia Morali,
omnibusque conscientiæ nodis**

Bonacina, Martino

Coloniæ Agrippinæ

Violatio clausuræ ob ingressum feminarum in Monasteria religiosorum
virorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41152

De violatione clausurae ob ingressum feminarum in monasteria religiosorum virorum.

28. Monasterium est spatium illud quod intra monasterii ambitum continetur. Hinc prædia, & domus rusticæ non sunt obnoxia clausuræ: consequenter religiosus potest feminas ad hujusmodi loca causa audiendi sacra admittere. Præterea chorus non est pars monasterii, sacristia verò, si quam non patet aditus nisi per claustra monasterii, subijcitur clausuræ. Item infirmariæ, hospitia, & similia loca non comprehenduntur nomine monasterii: secus dicendum de hortis contiguis monasterio, cum intra monasterii ambitum contineantur. *ibid. quæst. 5. punct. 1. num. 1. & seqq.*

29. Omnibus feminis interdictus est ingressus in monasteria virorum, & non solum conjugatis aut viduis, verum etiam puellis quæ rationis usum nactæ sunt, vel ad septennium pervenerunt. Item & fundatricibus, nisi fortè in regula ipsorum religiosorum habeatur, ut fundatrices decenter comitatus admittantur: imò feminae in dignitate constitutæ non possunt hoc tempore virtute privilegiorum ingredi monasteria monialium; probabile tamen est Reginas & ipsarum filias posse monasteria religiosorum ingredi, etiam absque peculiari privilegio. Religiosi igitur graviter peccant admittendo feminas in sua monasteria, quia cooperantur delicto feminarum, & feminae quoque graviter peccant ingrediendo, etiam si tunc temporis nullus in monasterio religiosus existat. *ibid. punct. 2. num. 1. & seqq.*

30. Nullus præter Romanum Pontificem, vel habentem ab ipso privilegium, potest extra mortis articulum absolvere ab excommunicatione, quam incurrunt feminae ingredientiæ, & religiosi eas admittentes in sua monasteria. *ibid. punct. 3. num. 3.*

Causa excusantes feminas ingredientiæ monasteria virorum.

31. Privilegio Summi Pontificis obtento post constitutiones Pii V. & Gregorii XIII. excusari possunt feminae, monasteria religiosorum ingredientiæ; quamquam si in eo monasterio extet regula non admittendi feminas, & in privilegio non fiat mentio hujus regulæ, non potest femina virtute privilegii ingredi. *ibid. punct. 4. num. 1. & 2.*